



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam
ad majorem omnium in Ascési proficere cupientium utilitatem ac
subsídium

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1685

§. 2. De Voluntate propria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

tiatur? Hæc dicens observâsti caput serpentis, & calcâsti. Ille autem Diabolus calcaneum tuum observat. Quid est, observat calcaneum tuum? quando labaris à via DEI. Tu observas primam suggestionem, ille observat lapsum tuum: si cecideris, possidebit.

V. Quartum est, ut non difficilem sibi, sed facilem potius imaginetur hanc luctam & victoriam; id quod nonnemo pulchrè hâc similitudine ostendit. Finge, agebat, Juvenem ad amores pronissimum turpissimæ Æthiopiæ adhæsisse, & ex illius consortio gravissimos morbos contraxisse, sed & totius substantiæ ac famæ suæ jacturam fecisse; hujus autem misertum Regem, aliam ei formosissimam Virginem Æthiopiæ loco offerre, promitteréque, se & à morbis eum curaturum, & omnem substantiam ac famam restitutum, quin & milledulpo plùs adjecturum; an prudenter judicari posset, difficilem fore huic Juveni Æthiopiæ repulsam, & Virginis speciosissimæ electionem? atqui similiter se res habet cum eo, qui inordinatam rei alicujus concupiscentiam fovebat, & cui loco talis creaturæ ipsa Divinitas amanda offertur; hinc meritò S. Bernardus dixit: Nihil in hac vitalaboriosius, quàm desiderijs terrenis æstuarè: & nihil hîc quietius, quàm hujus sæculi nihil appetere.

§. II.

De Voluntate propria.

I. Est illa, quæ non est communis DEO, & Homini-
bus, sed nostra tantùm, quando scilicet, quod volumus, non ad honorem DEI, non ad utilitatem Pro-
ximi,

ximi, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere DEO, & prodesse Fratribus, sed satisfacere proprijs motibus animorum, ut S. Bernardus s. 3. resurr. eam descripsit. De hac proinde quinque specialiter scienda sunt.

II. Primum est, ut sciat gradus, qui in hac reformatione voluntatis à S. Bonaventura assignantur, quorum primus est, resistere vitijs, qui est status contentium. Secundus est, passionibus imperare, pace frui. Tertius, DEO adhærere & uniri, quod jam virtutes transeunt in affectum cordis.

III. Alterum est, ut sciat praxin hujus abrenuntiationis, de qua breviter & bene discurret Gerson, dicit: Pro quâdam regula generali tenendum, ut omnia, ad quæ voluntas cum quodam impetu & vehementia, sine prævia deliberatione inclinatur, quæ tumcunque appareant bona, habeantur suspecta, quæ communiter sunt motus sensualitatis & passionum, quibus hostis antiquus per læpe se immisceat. Clarior verò & fusiùs S. Dorotheus, nec quisque, ait, difficile hoc putet, & arduum, cum brevi compendio in spatio, quis seipsum possit, si velit, decies abnegare. Quod quo pacto fiat, edocebo. Obambulat quis, & quidpiam conspicatus, persuadetur à cogitatione, ut id advertat; at is cogitationi, & non bonæ persuasioni repugnat, seseque avertit. Rursum inquit venit quis nugis & varijs rumoribus occupatos, persuadet, ut se quoque turbæ immisceat, & verba perititer inserat, id negat se facturum, & aversus aliam propriam voluntatem abscindit. Item succurrit illi, ut cocum adeat, interrogétque, quid paret obsonium, non adit, ac se cohibet. Cernit aliquid in culina,

quis illud attulerit, sollicitatur interrogare, comprimit appetitum, & vocem, & nihil percunctatur. Sicque, dum parva quæque præscindit, sensim quæcunque advenientia præscindere assuescit, & jam summa cum requie nihil præter voluntatem suam sentit se habere, &, quidquid factum fuerit, eo ita contentus est, ac si ad vota sua evenisset. Qui enim proprium nihil habet, aut vult, quidquid factum fuerit, id proprium putat.

IV. Tertium est, ut, quemadmodum S. Bonaventura movet, etiam in indifferentibus alterius potius voluntatem, quam suam sequi studeat; imò semper in exterioribus actionibus, aliorum beneplacita affectans, cum omni vigilantia in licitis adimplere studeat.

V. Quartum est, ut necessitatem hujus abrenunciationis bene apprehendat, quâ in re proderit notasse, quod in vitis Patrum in hæc verba legitur: Apud antiquos Monachos docetur aliquis primitus suas frangere voluntates; pronunciant enim, nullatenus Monachum prævalere posse iræ, vel tristitiæ, vel spiritui fornicationis, nisi prius didicerit per obedientiam suas mortificare voluntates; sed nec humilitatem quidem cordis veram, nec cum Fratribus concordiam firmam posse retinere, nec in Monasterio diutius permanere eum, qui voluntates suas non didicerit superare. Hinc S. Fulgentius Episcopus dicere solebat, illos esse veros Monachos, qui mortificatis voluntatibus suis parati essent, nihil velle, vel nolle, sed Abbatis tantum consilia vel præcepta servare. Et Christus S. Birgittæ quondam dixit: Via, quæ ducit ad amorem meum, est perfecta abjectio & abnegatio

gatio propriæ voluntatis, quando homo confide
passione & caritate mea non curat facere voluntatem
suam, & resistit totis viribus, & conatur semper
majora.

VI. Quintum est, ut cognoscat, quàm DEO
gratam, ipsique operanti meritoria sit hæc abrenunciatio
id quod breviter sequentibus verbis docuit Blosius.
Nihil DEO gratius offerri potest, abnegatione
propriæ voluntatis, quia nihil est carius homini, ipsa
voluntate, & arbitrij libertate. Quando quis proprio
DEUM sensualitati, voluntatique propriæ, etiam
rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, rem
DEO magis gratam facit, quàm si multos mortuos
ad vitam revocaret.

CAPUT III.

DE MEDIIS AD PECCATA VITANDA.

Inter hæc media præcipuum meritò censetur no-
simorum consideratio juxta illud Siracidis: *In omnibus
operibus memorare novissima tua, & in æternum non
peccabis*; de quibus proin quid Asceta specialiter
debeat, in hoc Capite indicabitur.

§. I.

De Morte.

I. Est Separatio Animæ à Corpore; juxta S.
gustinum s. 101. de temp. dicta à morsu, quia videlicet
per morsum, quo Protoparentes nostri vitium
mum momorderunt, in Orbem introducta est; de qua
quatuor Ascetæ bene ponderanda sunt.

II. Pe